



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.6. S. Ludovici in Religiosos propensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

principium promit e quodam opere, quod S. Hieronymo perperam adscribitur. Inter historias serias eundem cum Cæsare ac Suetonio locum tribuit historiae Caroli Magni sub nomine Archiepiscopi Turpini priore seculo excusæ. Fatetur, se annos accurate notandos haud suscepisse ob authorum hac in re discrepantiam, ac historiae Ecclesiasticæ studium suo tempore neglectum queritur.

Sæcul. XIII.
A. C. 1255.
de nativ.
S. Mar. to. 3.
p. 443.
p. 76.
ap. Reuber
p. 67.
Ech. p. 50.
p. 43.

§. VI.

S. Ludovici in Religiosos Mendicantes propensio.

Inter omnes Religiosos Ordines maxime duos Mendicantes Fratrum Prædicatorum Minorumque amabat Rex S. Ludovicus, dicebatque, se, si dividi posset in partes duas, utrique Ordini unam daturum esse. Aspirans igitur ad perfectionis apicem, statuerat filio in spem regni genito, cum primum is ætatem haberet idoneam, plane coronam cedere, atque alterutrum intrare Ordinem bona Reginæ conjugis venia, cui hora tempestitiva id clam aperuit. Illa silentium quidem petitum promisit, sed in rem neutiquam consensit, rationes solidas, ut eum inde avocaret, afferens. Remansit ergo in aula; sed a rebus fluxis animum magis semper

G. de Bello.
c. 12.

Sæcul. XIII. per magisque avertens, in demissione
 A.C. 1275. Deique timore tanto longius procedebat.

6. 14.

Filios geminos sibi trans mare peregre agenti natos Joannem Tristanum ac Petrum, postquam ætatem rationis competentem attigissent, Parisiis apud Dominicanos alterum, alterum apud Franciscanos educari testamento jussit, ut pietate ac litteris imbuerentur, & in eorum cœnobiiis convenientia illis conclavia præparari voluit, sperans fore, ut progressu temporis Deus illis vitam religiosam in his sanctis familiis amplectendi desiderium inspiret. Pari modo filias suas Isabellam & Blancam habuit. Etiamnum ultra mare versans priori epistolam suam scripsit manu, ut contemptis rebus profanis Parthenoni cuidam nomen daret, magnopere hortans. Blancam Deo in Abbatia Malbussioniana prope Pontœsiam obtulit, in probitate ac vitæ religiosæ studio educandam. Sed aliud statuit Deus: nam omnes quatuor Principes matrimonium inierunt.

Hæc Religiosorum Mendicantium existimatio, & hic in eos favor erat inter præcipuas causas invidiæ Doctorum secularium ac veterum monachorum. His novis advenis exprobrabant, quod Principum Præsulumque mensas appetere, honorifica ibi loca tenendi, genioque indulgenti

Guil. a S.
 Amb. p. 9. 10.

dulgendi gratia; id quod illos in obsequendo promptos & adultores esse cogeret; quod multis se negotiis immiscerent; Procerum Præsulumque consiliis interessent; cum eis sedem caperent in tribunalibus ad jus dicendum. Præterea, cum hi novi Religiosi per suam doctrinam & ardens Dei gloriam promovendi studium se necessarios redderent, eorum cum monachis dotatis comparatio faciebat, ut isti venirent in contemptum tanquam homines otiosi ac inutilis.

§. VII.

Fratres Minores Episcopi.

Multos jam Episcopos ex Ordinibus Fratrum Mendicantium productos vidimus; & invenio tres Fratres Minores Episcopos, quorum mentionem faciunt diplomata hujus anni 1255. Sedes Tarvisiana vacabat per translationem Petri Pierii Veneti ad Episcopatum Venetum a Papa Alexandro 13 Febr. confirmatam. Pro eligendo successore in partes itum est, quibusdam Canonicis Albertum Riccium Ordinis Minorum Vicentinum Theologiæ Professore, cæteris Bartholomæum Quirinum Clericum Venetum cooptantibus. Re ad Papam delata, Frater Albertus in Pontificii Senatus

Sæcul. XIII.

A. C. 1255.

p. 12.

Ughell. to. 3.

Vading. an.

1255. n. 17.

Rayn. n. 16.